

quod prima radix a qua provenit mala electio est non consideratio, quia etiam ille error quo iudicatur non prosequendum secundum rei veritatem esse prosequendum provenit ex non consideratione, quia non considerantur omnes conditiones et praecipue in illis in quibus passio non potest esse causa erroris.

Ad rationem in oppositum dicendum quod maior non conceditur universaliter ab omnibus, scilicet quod Deus possit facere quamlibet rem sine omni eo quod non est de ratione sua; quia videtur quibusdam quod non possit facere lineam sine curvo vel recto, cum tamen ista non sint de ratione lineae, unde aliqua sunt quae non sunt de ratione rei quae tamen ad rationem rei de necessitate consequuntur sine quibus res illa quacumque virtute non potest fieri; et sic posse peccare consequitur liberum arbitrium in natura intellectuali creata in puris naturalibus existente, licet non sit de eius ratione, licet posse peccare non consequatur omne liberum arbitrium, sicut patet de Deo et beatis.

¹ L : creatura. — ² L : malas. — ³ L : refutare. — ⁴ L : ista. — ⁵ L : unumtiative.

(1) S. ANSELMUS CANTUARIENSIS, *Dialogus de libero arbitrio* (PL, t. 158, col. 491). — (2) ARISTOTELES, *Ethica Nicomachea I*, 7 (II, 1114a 32 — 1114b 1). — (3) Cfr. S. THOMAS AQUINAS, *De malo*, q. 6. — (4) Cfr. *ibid.*, q. 2, art. 2; ^{1a} 2ae, q. 21, art. 2.

QUAESTIO II

Utrum idem sit voluntatem moveri quantum ad determinationem actus et quantum ad exercitium.

Postea quaerebantur quaedam de creaturis. Et primo quaerebantur quaedam de creatura intellectuali sive sit incorporea ut angelus sive corporea ut homo. Postea quaerebantur quaedam de creatura inferiori existente sub intellectuali. De creatura intellectuali primo quaerebantur quaedam communia homini et angelo; secundo quaerebantur quaedam propria angelo; tertio quaedam propria homini.

Quantum ad communia homini et angelo primo quaeruntur quaedam pertinentia ad naturam, secundo quaedam pertinentia ad gloriam, tertio quaedam pertinentia ad miseriam. Pertinentia ad naturam erant tria: primum erat quantum ad exercitium et determinationem actus in voluntate, et erat utrum idem sit voluntatem moveri quantum ad determinationem actus et quantum ad exercitium; secundum erat utrum ista duo stent simul,

scilicet quod voluntas moveatur ab obiecto effective et quod ipsa moveat alias potentias quantum ad exercitium actus; tertium erat de dominio actus et erat utrum dicere quod non potest esse meritum nisi idem et secundum idem primo et per se et immediate moveat seipsum vel reducat se in actum sit erroneum.

Ad primum trium ultimorum sic proceditur et arguitur quod non sit idem voluntatem moveri quantum ad exercitium actus et quantum ad determinationem, quia ea quae causantur a diversis non sunt idem; sed in voluntate exercitium actus et determinatio causantur a diversis, quia unum est a voluntate et aliud ab obiecto; ergo etc.

Contra: illa quae sunt omnino inseparabilia ab invicem sunt idem; sed exercitium actus et determinatio in voluntate sunt huiusmodi, quia nunquam est determinatio actus volendi quin sit exercitium actus, nec est aliquod exercitium in voluntate quin sit aliquis actus determinatus; ergo etc.

Respondeo. Supposito quod voluntas vere et realiter moveatur effective ab obiecto, scilicet a bono cognito sicut ab immediato motore in omni actu volendi, differentia inter moveri quantum ad exercitium actus et moveri quantum ad determinationem actus potest dupliciter accipi: uno modo quod talis differentia sit secundum rem; alio modo quod talis differentia sit secundum rationem tantum prout idem actus diversimode consideratur.

Si ponatur differentia secundum rem, hoc potest intelligi tripliciter.

Uno modo quod in ipso actu volendi sint duo actus diversi, quorum unus sit exercere actum volendi et alius sit determinare actum volendi. Et istum sensum puto impossibilem; quia omnis actus volendi essentialiter est quoddam exercitium et quoddam exire in actum et est essentialiter quidam determinatus actus ad determinatam speciem; et ideo cum pars non possit praedicari de toto, impossibile est quod exercitium actus volendi sit pars realiter ipsius actus volendi [fol. 242 R^a] constituens ipsum; unusquisque etiam actus et unaquaeque forma determinatur ad speciem seipsa.

Alio modo potest intelligi ista differentia secundum rem sic quod dicatur obiectum movere voluntatem quantum ad determinationem actus pro tanto, quia aliquam formam imprimit voluntati quae non est ipsa volitio, quam quidam vocant affectionem (1) et voluntas dicatur movere quantum ad exercitium actus, quia habens hanc formam pro libito utitur ea ad exeundum in actum volendi, ita quod pro tanto dicatur obiectum movere quantum ad determinationem actus in quantum dat talem formam specialem secundum quam oportet voluntatem exire in actum si debeat velle; sed voluntas dicitur magis movere quantum ad exercitium actus in quantum in potestate sua est secundum talem formam exire vel non exire in actum. Secundum enim istam viam determinatio actus et exercitium actus essent diversi actus secundum rem; nam causare illam formam quam affectionem vocant et secundum eam causare actum volendi sive exire in actum volendi sunt diversae

operationes; secundum etiam istam viam voluntas movet se in omni actu volendi quantum ad exercitium actus, quia velle secundum hanc viam est voluntatem secundum formam habitam movere se ad actum volendi.

Istam viam non credo veram; quia sive ab obiecto imprimatur aliquid voluntati aliud ab actu volendi, ad quod postea sequatur actus volendi, sive non, quod verius credo, credo quod voluntas in primo actu non movet se quantum ad exercitium actus, nec habet, ut credo, primum suum velle in potestate sua.

Quod non moveat se in primo actu per talem formam, patet sic; quia aut actus volendi de necessitate consequitur ad talem formam, sicut passio de necessitate consequitur subiectum, vel motus deorsum sequitur grave; aut non. Si de necessitate consequitur modo praedicto, tunc non debet dici voluntas movere se, sed magis moveri a dante talem formam, sicut grave non dicitur movere se deorsum, sed magis moveri a generante. Si autem non de necessitate sequitur, tunc sequitur quod voluntas una cum illa affectione non est sufficiens principium, nisi forte tu dicas quod voluntas habet in potestate sua illum primum actum et quod in talibus, habito sufficienti principio, non de necessitate sequitur motus, in aliis saltem positus principiis sufficientibus activo et passivo, de necessitate sequitur motus; et sic patet quod voluntas non potest in primo actu movere se per illam affectionem, sive ponatur quod velle de necessitate sequitur ad eam sive non, nisi ponatur quod habeat dominium sui actus in primo actu volendi.

Quod autem non habeat dominium sui actus in primo actu volendi, probo duplici ratione.

Prima ratio est talis. Si voluntas habet in potestate sua suum primum actum volendi, oportet dicere quod in potestate voluntatis est exire in primum actum volendi et non exire, ita quod in potestate sua est non velle oppositum contradictorie primo actui volendi. Set hoc est falsum et impossibile. Ergo etc. Maior patet. Minorem, scilicet quod in potestate sua non sit non velle oppositum primo actui volendi, probo; quia si non velle oppositum primo actui volendi est in potestate voluntatis, voluntas aut habet illud in potestate sua nihil agendo, aut aliquid agendo. Si dicatur quod nihil agendo, contra: quia nulla res videtur habere super aliquod dominium nisi mediante sua actione; ergo non potest habere dominium super illud nihil agendo. Item etiam non videtur quod aliquid habeat dominium super non velle, nisi in quantum in potestate sua est prohibere velle sibi oppositum; prohibere autem est aliquid agere; ergo etc. Item etiam si voluntas diceretur habere non velle in sua potestate propter hoc quod potuit exire in actum volendi et non exivit in actum¹ volendi, eadem ratione posset dici quod ignis quando potuit calefacere et non calefecit haberet dominium super illud non calefacere, quod est falsum. Si dicatur quod voluntas habet dominium super illud non velle, aliquid agendo in illo agere, quaero quid egit, utrum velle vel ali-

quid aliud. Non potest autem [fol. 242 R^v] [esse] quod voluntas agat aliud a velle nisi mediante suo velle. Si ergo voluntas habet dominium super non velle, hoc est per aliquod velle cui non opponitur illud non velle, et sic non velle super quod habet dominium non est oppositum primi actus volendi; et sic impossibile est quod voluntas habeat dominium super non velle oppositum primo actui volendi, nec per consequens super primum actum volendi.

Secunda ratio talis est. Si voluntas haberet dominium super primum actum volendi, tunc omnis complacentia vel consensus quantumcumque subitus in his quae de genere suo sunt circa materiam peccati mortalis, sicut est fornicatio vel furtum, esset peccatum mortale, nec in talibus nunquam esset veniale peccatum. Hoc autem falsum et erroneum secundum omnes. Ergo etc. Minor patet. Ad evidentiam autem maioris sciendum quod quaedam sunt quae ex genere suo sunt peccata venialia, ita quod etiam cum deliberatione facta non sunt mortalia, nisi fiant cum contemptu, sicut est mendacium iocosum vel aliquid aliud tale quod non est natum dissolvere amicitiam hominis ad Deum vel proximum; alia sunt quae ex genere suo sunt mortalia, sicut est furtum et adulterium, nec complacentia in istis excusatur a peccato mortali ex materia circa quam sunt, sed solum ex hoc quod super talem complacentiam homo non habuit dominium plenum. Sed si voluntas haberet dominium super suum primum actum sine quacumque deliberatione, non posset excusari in talibus complacentia voluntatis per hoc quod non haberetur eius dominium; ergo si voluntas haberet dominium sui primi actus non deliberati, omnis complacentia in talibus esset peccatum mortale.

Tertio modo potest intelligi quod in voluntate differat secundum rem movere ad exercitium actus et movere ad determinationem actus sic quod, quia voluntas movetur ab obiecto praesentato in intellectu, illa motio quae fit in viribus illis quae sunt praeviae voluntati sicut est phantasia vel intellectus, quando scilicet impellitur phantasia vel intellectus ad considerandum vel phantasiandum dicatur motio quae est ad exercitium actus voluntatis, quia scilicet sunt praevia² et ordinantur ad hoc quod voluntas reducat in actum volendi, et determinatio actus dicatur motio secundum quam talia sic facta in actu movent voluntatem ad actum volendi; et si accipiantur sic movere ad exercitium actus et movere ad determinationem, non est dubium quod tales motiones differant secundum rem, quia non est dubium quod illa motio qua impellitur intellectus et phantasia ad apprehendendum est alia ab illa motionem qua praedictae vires factae in actu vel obiectum, mediantibus eis, movent voluntatem ad actum volendi; sed exercitium et determinatio actus sic accepta non sunt in ipsa voluntate sicut in subiecto; et quamvis istud sit verum quod tales motiones sint in praedictis viribus, tamen forte hoc non satisfacit quaestioni qua quaeritur utrum voluntatem moveri quantum ad determinationem actus sit idem quod eam moveri quantum ad exer-

citium actus, quia quilibet actus sive intellectus sive voluntatis est quoddam exercitium et quidam actus determinatus.

Et ideo potest esse dubium adhuc utrum cum ipsemet actus volendi sit quoddam exercitium et quidam actus determinatus, aliud sit voluntatem moveri in isto actu ad suum actum quantum ad hoc quod est exercitium et aliud quantum ad hoc quod est actus determinatus.

Et ad hoc dicendum quod si intelligatur per hoc quod ille qui est causa actus volendi possit ita esse causa realiter ipsius actus secundum quod est actus determinatus ita quod non sit causa realiter eius secundum quod est exercitium, hoc est falsum vel e converso.

Et ideo sciendum quod exercitium actus et determinatio actus in voluntate possunt accipi ut differentia secundum rationem, ita scilicet quod prout est quoddam exire in actum, dicatur exercitium; prout vero est determinatus actus respectu determinati obiecti, dicatur actus determinatus; et accipiendo sic istam differentiam secundum rationem, impossibile est quod moveri ad unum differat a moveri ad aliud secundum rem, vel quod aliquid secundum rem moveat [fol. 242 V^a] ad unum ita quod non moveat ad alterum; tamen talis actus, cum, sicut ostendetur, habeat reduci in diversas causas, potest reduci magis secundum unam rationem in unam causam quam secundum aliam.

Ad cuius evidentiam sciendum quod, sicut applicans ignem ad aquam dicitur calefacere et ipse ignis applicatus, ita etiam applicans obiectum ad voluntatem impellendo vires cognitivas ad considerandum fugiendum vel prosequendum, et obiectum ipsum in talibus viribus praesentatum movent voluntatem, et sicut ignis immediate habet calefacere sicut a quo immediate est calor causatus in aqua, illud vero quod applicat ignem ad aquam dicitur calefacere propter hoc quod approximat ipsum activum suo passivo, ita etiam in omni actu voluntatis obiectum praesentatum in intellectu movet voluntatem sicut illud a quo immediate est actus volendi, sed movens praedictas virtutes ad considerandum aliquid prosequendum vel fugiendum movet voluntatem in quantum hoc faciendo applicat motivum proprium voluntatis suo passivo, scilicet voluntati; et sicut ille qui applicat ignem non habet formam determinatam a qua determinate egrediatur calor vel frigus, sed habet quamdam virtutem motivam qua potest applicare calidum vel frigidum indifferenter, ignis autem habet determinatam formam ad calefaciendum, ita quod non potest aliud facere et propter hoc calefactio aquae secundum quod est quoddam exire in actum magis habet reduci in applicans, secundum vero quod est actus determinatus qui est calefactio magis habet reduci in ignem, ita etiam actus voluntatis prout est quoddam exire in actum magis habet reduci in applicans obiectum quod indifferenter potest applicare hoc vel illud, sed prout est determinatus actus volendi magis habet reduci

in obiectum quod habet determinatam rationem boni vel mali prosequendi vel fugiendi.

Et sic, ut credo, est intelligenda illa distinctio qua dicitur quod voluntas movetur ab alio quantum ad determinationem actus, puta ab intellectu vel obiecto cognito, et ab alio quantum ad exercitium actus, scilicet ab eo quod dictas potentias impellit ad apprehendendum obiectum, quidquid illud sit. Illud etiam quod aliter quam per motionem obiecti impellit dictas potentias ad agendum, sicut si aliquis impellat phantasiam ad phantasiandum vel oculum ad videndum, dicitur movere dictas potentias quantum ad exercitium actus; sed obiecta earum directe et immediate moventia eas ad actus suos dicuntur movere eas quantum ad determinationem actus.

Et sic patet quomodo secundum hanc viam voluntatem moveri quantum ad exercitium actus et quantum ad determinationem est idem secundum rem, licet differant secundum rationem, et quomodo secundum unam rationem magis habet reduci in unam causam quam in aliam.

Ex his etiam aliquo modo potest patere quod voluntas in primo actu non movetur a se nec quantum ad determinationem actus nec quantum ad exercitium, quia voluntas antequam velit non potest applicare suum obiectum sibi nec mediate nec immediate nec impellere vires apprehensivas ad proponendum obiectum, sed facta in actu potest movere se ad alios actus quantum ad exercitium ipsius actus, non quidem immediate, sed mediante motione facta in viribus apprehensivis, in quantum facta in actu potest impellere dictas vires ad considerandum aliquid fugiendum vel prosequendum a quo postea voluntas movetur; dicitur autem in primo actu moveri quantum ad exercitium actus ab aliquo exteriori instinctu, puta a Deo vel a fortuna, in quantum scilicet aliquid extrinsecum potest esse causa vel occasio quod homini occurrat hoc vel illud primo, puta quod hoc quod primo occurrit imaginationi suae sit ire ad ecclesiam vel ad forum, a quo, postquam occurrit, movetur ad volendum. Et sic patet ad quaestionem.

Ad rationes dicendum; et primo ad rationem factam ad primam partem, quod secundum rem et determinatio actus voluntatis et exercitium ipsius sunt ab eisdem causis, quia et applicans obiectum et obiectum [fol. 242 V^b] applicatum est causa utriusque, licet secundum unam rationem magis reducatur in unum quam in aliud, modo quo ostensum.

Ad rationem etiam ad aliam partem, patet; quia, sicut dictum est, exercitium et determinatio actus sunt unum re et inseparabilia, sed sunt bene separabilia secundum rationem et alia separatio non ponitur ibi.

¹ L : actu. — ² L : prima.

(1) S. ANSELMUS CANTUARIENSIS, *De concordantia gratiae et liberi arbitrii*, cap. XI (PL, t. 158, col. 535-537).

Les Philosophes Belges

Textes et Etudes

Collection publiée par l'Institut supérieur de Philosophie de l'Université de Louvain
sous la direction de Maurice De Wulf

TOME XIV

Le Quodlibet XV et trois Questions ordinaires

de Godefroid de Fontaines

(TEXTE INÉDIT)

PAR


Dom Odon LOTTIN, O. S. B.

ET

Étude sur les manuscrits des Quodlibets

PAR

Jean HOFFMANS, Professeur à l'Université Coloniale
et Auguste PELZER, Scrittore à la Bibliothèque Vaticane



THE LIBRARY, ST. CHARLES SEMINARY, CARTHAGENA, OHIO

LOUVAIN

ÉDITIONS DE L'INSTITUT SUPÉRIEUR DE PHILOSOPHIE
2, PLACE CARDINAL MERCIER, 2

1937